



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 53. Hæc Capita per Legatos ad Papam transmissa, actumque de  
Seminario Romæ erigendo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](#)

Sæcul. XVI. vocatio, S. Imaginum cultus, & Pur-  
A.C. 1563. gatorium: cum vero Lunensis Comes  
dubia, quibus Synodi progressus re-  
tardabatur, identidem moveret, atque  
obstacula Concilium longius protrahen-  
tia opponeret, hac super re Præfides  
apud Cæsarem, & Pontificem quere-  
bantur: hinc ab his rescriptum, harum  
difficultatum, nisi solidæ fuerint, nul-  
lam habendam esse rationem.

§. LIII.

*Hæc Capita per Legatos ad Papam  
transmissa, auctumque de Semi-  
nario Romæ erigendo.*

**Pallav. n. 12.** Acceptis hisce mandatis Legati discu-  
**& 13. litt. 1.** tiendis materiis toto studio incum-  
**Borr. ad** bère decernebant, ut autem Oratori-  
**Legat.** bus manifestum facerent, quod serio  
**II. Aug.** de emendatione agi peterent, quadra-  
ginta duos articulos confici curabant,  
eosque ad Papam transmittebant, non  
tam ex eo fine, ut Pontifex desuper  
mentem suam aperiret, quam duntaxat  
ut de iis certior fieret. Insuper eidem  
significabant, quod in nuperæ Sessionis  
decreto circa Seminaria in quavis Diœ-  
cesi erigenda, nonnulli disertis verbis  
declarari petierint, ut ejusmodi Col-  
legium Romæ erigeretur, ipsi vero se-  
horum petitioni opposuissent, ne Syno-  
dus leges sacræ Sedi præscribere vide-  
retur,

retur, de cetero autem illis promisissent,  
quod ipsemet summus Pontifex pro suæ,  
qua fulget. dignitatis munere hoc de-  
cretum effectui datus esset, hinc a  
se Sanctitatem suam rogari, scribebant,  
ut ipsorum missa operis executione  
firmare dignaretur. Ad hæc summus  
Pontifex per Borromæum Cardinalem  
ad Legatos suos ista rescribi jussit: *Non*  
*vult amplius Pontifex quemquam consulere*  
*de capitibus memoratis, nec de reliquis, quæ*  
*isthiinc mittentur in posterum; siquidem cer-*  
*to scit, ob ingeniorum varietatem nun-*  
*quam nos conventuros, & indies magis*  
*dissensuros: adeo autem necessaria est Sy-*  
*nodi absolutio ob cauſas plurimas saepius*  
*scriptas, ut nihil, quod eam retardet, pos-*  
*fit, prout nos arbitramur, culpa gravissima*  
*carere: maximum in rebus omnibus, quod*  
*fieri possit, bonum, & minimum malum*  
*peragite, atque hoc animo progrediamini,*  
*quo quam celerrime deveniatis ad exitum*  
*Concilii: quod Pontifici videtur potius ab-*  
*solvendum solemniter, quam suspendendum,*  
*cum id maius Dei obsequium, major noster*  
*honor, ac dignitas ab ipso putetur: & ubi*  
*res eo deductas animaduertetis, ut sanctis*  
*postea dogmatibus, confessisque jam di-*  
*uis disciplinæ legibus, opportunum absol-*  
*vendæ Synodi tempus arbitremini, & vo-*  
*biscum major Patrum numerus consenserit,*  
*dicit Pontifex, ut nulla ratione habita re-*

SÆCUL. XVI.  
A.C. 1563.

**Sæc. XVI.** *ludantium, nec ullis deterriti nimis iugis hominis, finem imponatis.*

**A.C. 1563.**

Data erat  
hæc Pontificis epistola die decima quarta  
Augusti, in qua Pius IV. nullam quidem  
de Seminario Romæ erigendo mentionem  
fecerat, nihilominus idem Borromæus in suis literis ad Legatos significabat,  
quod statim, quam primum de erigendis ejusmodi seminariis Tridenti  
agi percepisset, animum adjecerit  
ad id Romæ perficiendum, sicuti  
autem brevi se id præstiturum inten-  
debat, ita postea executioni dedit.

### §. LIV.

#### *Actum de articulo circa matrimonia clandestina.*

Postquam hi articuli proponebantur,  
**Pallav. l. 22.** de duobus præprimis acriter disputatum est, quorum primus erat de clandestinis matrimoniis, ac de iis quærebatur, an ea ob gravissima mala exinde orta tanquam irrita essent declaranda? idcirco Oratores Galli, quorum regna fortassis hoc incommodum frequentius, nocentiusque patiebantur, vigesimo quarto Julii a Concilio Regis nomine solemniter petierunt, ut hujusmodi matrimonia in posterum irrita decernerentur, renovatis antiquis nuptiarum ritibus: si vero gravi de causa

**c. I. n. 16.**